



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 34. Hispana classis fretum Anglicum ingressa, dissipataque.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

ctasque illorum actiones sedulo explorari jubebat.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1588.

§. XXXIV.

*Hispana classis fretum Anglicum ingressa, dissipataque.*

Interea classis, quam Hispaniæ Rex pro Anglica expeditione destinaverat, se se mari commiserat. Erat sane hæc classis omnium, quæ unquam Oceanum ingressæ sunt, longe validissima, quippe centum quinquaginta omnis generis navibus instructa, quæ non modo plusquam ad integrum semestre omni apparatu, atque annona abunde erat provisa, sed etiam præter numerosum exercitum quamplurimos diversorum Ordinum Religiosos vehebat, qui exscensione facta populos hortarentur, ut ad Ecclesiæ Romanæ obsequium redirent; Hispani enim credi volebant, quod solius Religionis defendendæ studio hanc expeditionem suscepissent: insuper nihil eorum prætermittebatur, quæ classis a tempestatum sævitia præmunire poterant; hac autem circumspeditione Hispani haud obscure sibi futuram calamitatem præfagire videbantur, quippe classis vix Ulyssiponensem portum egressa mox tam acerba ventorum violentia jactabatur, ut ægre admodum naves hinc inde dispersæ in Coronæ portu

Thuan. &  
Spond. l. c.

Sæcul. XVI  
A.C. 1588.

tu colligi possent, demum vero illa, postquam pene innumeris aliis periculis defuncta erat, tandem die vigesima nona Julii Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo octavo fretum Anglicanum ingreditur, quo facto quantocius Medinæ Dux nomine Sidonius Hispanæ classis Architalassus missis nuntiis Parmensem Ducem de sua excursionem certior reddidit, instititque, ut & ipse suos in Angliam exscendere juberet, cum interea Hispana classis Anglicam ad certamen ineundum adigeret. Verum quamvis Anglorum classis numero navium longe inferior esset, nihilominus Hispani haud diu Anglis resistere poterant; hi enim præter suam animi fortitudinem mira dextertate præditi Hispanam classem profligarunt, navibusque penitus dispersis eam cum ingenti dispendio, ac pudore in Hispaniam iter relegere coegerunt.

## §. XXXV.

*Colloquium a Guisio Duce, & Fœderatis Nancœi habitum.*

*Thuan. &  
Spond. l. c.  
Maimb. hist.  
de la Lig.  
l. 1.  
Men. de la  
Lig. t. 2.  
p. 293.*

Hic idem annus non minus Gallis admodum exitialis fuit ob Guisiorum factionem, & fœderatorum furorem; cum enim interea Lotharingæ Dux Janetium exiguam Sedani Principatus urbem cum suis, ceterisque a Parmensi Principe